



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

10. Viduas neque cogi, neque prohiberi nubere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

His talibus sanè malum est, viduas esse. Sed prouidit Deus etiam hìc remedium, quod D. Paulus mox subiunxit, cum scriberet: *Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nulla occasione dare aduersario maledicti gratia. Iam enim quaedam conuersae sunt retro Satanã. Vbi non lego figit iunioribus viduis; sed remedium ostendit, teste D. Augustino. Nulla enim vel leuitas, vel infamia, vel culpa est, si qua vidua continentiae voto non astricta, transeat ad secundas nuptias, à viduitate; quidquid vel contenderint Monogamiae propugnatores; vel rudes quidam mariti ex hac vita decedentes ab vxoribus suis exigant, ne alteri nubant. Quasi eam, quae continentiam non est professsa, cogere quis possit, vt permaneat in viduitate, in qua illi periculum est fornicationis; tum ob ætatem, tum ob experientiam, tum ob iuuenes procos, tum ob alias illecebras, ac leuitatem. Ob quas causas etiam, vulgò, dici solet: *Mulier aut maritus, aut maritus. Item: Aut nube, aut te reclude, in monasterium scilicet.* Et S. Paulus alibi: *si se non continent, nubant.* Hoc est, alterutrum faciant: *melius est enim nubere, quam vri.* Ex quo loco intelligi potest, eum eodem sensu eademque conditione loqui, quando ait: *Volo iuniores nubere; scilicet, si se non continent. Volo, quia ipsa volunt, & nupturiunt;* ait S. Chrysostomus. Vel, sicut Primasius interpretatur. *Volo, id est, concedo tales nubere, antequam promittant, quod non valent implere.* Itaque non viduas vetat esse Paulus, sed adulteras; quia melius est digamum esse, quam scortum, inquit S. Hieronymus. Nimirum etiam S. Ambrosio teste, *Pro remedio nuptias suasit Paulus, vt peritura seruaretur, non pro electione prescripsit.* Rotundè Saluianus. *Cur, inquit, nuptias Paulus indulserit, statim subiicit: jam quaedam declinauerunt post Satanam. Ex quo intelligimus, non stantibus coronam, sed jacentibus manum porrigere. Vide qualia sint secunda matrimonia, qua lupanaribus preferuntur, quia declinauerunt quaedam post satanam. Ideo adolescentula vidua, quae se non potest continere, vel non vult, maritum potius accipiat, quam diabolum. Quemadmodum igitur illas, quae, postquam se voto ad continentiam astrinxerunt, fornicatae volunt nubere, damnat, quia primam fidem irritam fecerunt; ita liberis viduis non precipit,**

X.

1. Tim. 5. 14.

S. Augustin.  
c. 8. de bono  
viduit.Vide Tertul-  
lianum de vs-  
landis virgini,  
1. Cor. 7. 8.S. Hieronymus,  
ep. 11. ad Age-  
ruchiam. S.  
Ambros. libi  
de viduis.



Luc. 2. 36.

1. Cor. 7. 8.

S. Ambros. l. 3  
de velandis  
Virg.

Loc. cit.

XI.

Epist. Indic.  
Anno 1566.P. Alexand.  
Valig. in lit-  
teris Anni  
1588.Iacobus Rz-  
nardus lib. 1.

capit, sed indulget, & pro remedio peccati offert nuptias. Si omnibus præciperet, damnaret vtrique iuniores viduas omnes, quæ sponte sua, magna animi constantia, in cœlibatu ac viduitate permanere decreuerunt. At hoc si faceret, damnaret Annam prophetissam, quæ postquam vixit cum viro suo tantum septem annis à virginitate sua, vsque ad annum octogesimum quartum vidua permansit: damnaret seipsum, qui alibi hæc habet: *Dico non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permanserint, sicut & ego.* Damnaret multò magis, quàm viduas, virgines illas, seu non nuptas, quæ, quia *bonum est illis sic esse*, mente castissima vitam Angelicam viuunt, Christum omnibus votis anteferentes. Gratia diuina, orationes, ieiunia, fuga illecebrarum multum possunt, itemque magistri spirituales, quales ipsi Apostoli fuerunt, multis virginibus Deo consecratis. *Non mireris in adolescentulis professionem, cum leges in paruulis passionem; & de his scriptum est: Adolescentula dilexerunt te nimis.* Quando itaque Apostolus ait: *Volo iuniores nubere*, intelligit moribus, non annis iuniores. *Non ergo atas reijcitur florentior*, ait S. Ambrosius, *ubi morum est senectus. Theclam non senectus, sed virtus probauit.*

Quanquam igitur & licitum, & vtile est incontinentibus viduis remedium nubere, licitum tamen est, & honestum, in viduitate casta permanere. Quod multæ fecerunt mulieres Ethnicorum, amore solo mariti primi, cui similem secundum se inuenturas desperauerunt: quarum nonnullas supra memorauimus. Goenses viduæ adhuc Ethnicæ, primo marito extincto, quantumuis iuuentulæ, non solum alteri non nubebant, sed etiam, cum marito cremandæ in ardentem rogam sponte insiliebant. Quod nunc edicto regio vetitum est. Et iam vbi Christianæ factæ, si cui coniunx moritur, coloris candidi vestitu abstinet, & caput perpetuò radit. P. Alexander Valignanus refert, à Sinesibus eam mulierem in honore haberi, quæ viduitatem colens secundum maritum non admittit. Quare, vt olim Vestalibus Romani, ita & his viduis Sineses Mandarini multas libertates, & priuilegia concedunt, magnificaque præmia largiuntur. Apud Romanos, è Plutarcho alijque constat,